

Trascrizioni

I.1

PACTA ET CONVENTIONES

1266 marzo 6, Grosseto

Patti stipulati tra i conti Ildebrandino (XI) di Bonifacio e Ildebrandino (XII) di Guglielmo ed il comune di Grosseto per ridefinire i diritti comitali sulla città di Grosseto.

Copia semplice fine XIII-inizi XIV secolo, ASS, *Capitoli* 20, c. 1r.

Regesti: ASS, *Ms B 21*, n. 829, c. 236r; G. CIACCI, *Gli Aldobrandeschi nella storia e nella Divina Commedia*, tomo II, Roma 1934, n. DXLVII, p. 227 (con data 1267 marzo 6).

In nomine Domini amen. Anno eiusdem a nativitate MCCLXVI, indictione VIII, die VI marçii. Infrascripta sunt pacta et conventiones inita, facta, tractata et confirmata inter illustres viros comitem Ildibrandinum quondam bone memorie comitis Bonifatii et dominum comitem Ildibrandinum quondam bone memorie comitis Guillielmi ex parte una et Bilioctum quondam Alamanni Biliocti syndicum comunis Grosseti, ut de syndicato patet carta publica facta manus mei Guillielmi notarii Guidi Grasse, syndicatus nomine pro ipso comuni Grosseti et ipsum comune Grosseti ex altera. Pacta enim hec sunt: in primis quod comune Grosseti in summa solvat dominis comitibus XXVI denarios pro quolibet focolari annis singulis ab illis qui huc usque consueti sunt solvere. Item quod tertia pars totius pretii salis recipiendi in dogana salis de Grosseto ubicunque fuit in districtu Grosseti, detractis primo omnibus et singulis expensis necessariis pro dicto sale vendendo, mensurando et emendo, solvatur comitibus et due partes relique dicti¹ pretii salis libere remaneant comuni Grosseti; et hoc intelligatur de sale quod perveniet ad manus comunis. Item quod homines de Grosseto prestant fidelitatem comitibus supradictis tanquam fideles domini; et quod ipsi homines de Grosseto tam comuniter quam divisim, prout res exegerint, faciant hostem et cavalcata dictis comitibus contra eorum inimicos, iuxta mandatum et requisitionem eorum cum fuerit oportunitas. Item quod licitum sit comuni Grosseti eligere et assumere pro suo arbitrio potestatem dominandam pro tempore civitati Grosseti, dum tamen potestas non sit de inimicis comitum. Item quod licitum sit comuni et hominibus de Grosseto tam comuniter quam divisim vendere et distrahere res eorum, frumenta, vinum et omnes alias res, et deportare et deportari facere per terram et aquam libere et expedite absque aliquo passagio vel avaria vel prohibitione eorum vel alicuius, non tamen ad rebelles vel inimicos comitum. Item quod passagium quod dicitur curatura salis, scilicet tres denarios per salmam, due partes² sint comitum et tertia pars comunis Grosseti sicut solitum est antiquitus esse. Item quod comune et homines Grosseti et persone civitatis Grosseti qui nunc sunt et fuerunt pro tempore sint liberi et exempti et immunes et absoluti ab omnibus aliis servitiis, prestationibus, angariis et honeribus realibus et personalibus. Et quod ipsi comites manuteneant civitatem Grosseti, cum muris et vallis et hedificiis et domibus et palatiis et cum omni iure et pertinentiis ipsorum, illibata et incorrupta. Et quod teneantur ipsam civitatem et bona et homines et personas ipsius civitatis defendere et manutenere toto posse eorum ab omni molestatione, persona et loco, et in omnibus iure et possessionibus eorum tam intus quam extra civitatem, cassis et remissis et sublatiis omnibus aliis petitionibus, censibus et servitiis, quam et quas dicti comites facere possent aliquo iure vel causa dicto comuni et spetialibus personis de Grosseto

¹ *Segue salis cassato.*

² *Nel ms. parte.*

huc usque retro. Item quod teneantur dicti domini comites una cum comuni Grosseti facere destrui cassarum factum in porta Cittadina et quod nullam in civitate Grosseti aliam faciant novitatem. Item quod licitum sit comuni Grosseti recipere in cives et habitatores Grosseti homines undecunque. Item quod dicti domini comites teneantur observare feuda hominibus, exceptis rebellibus. Item quod si quos captivos unum vel plures haberint dicti comites vel ad eos pervenerint de civitate Senarum, dare teneantur³ comuni Grosseti pro scambio et redemptione nostrorum civium qui in civitate Senarum tenentur carcerati. Item teneantur dicti comites tradere et exhibere comuni Grosseti arma et avere totum que sunt in cassaro nostro dicto facto supra portam Cittadinam pro satisfactione dampnorum qui passi sunt homines de Grosseto, qui bonis eorum fuerunt privati tempore quo exiti de Grosseto. Et homines et persone qui sunt in dicto cassaro tradant et assignent comuni Grosseti pro redemptione civium de Grosseto qui Senis sunt carceri mancipati. Que omnia et singula supradicta predicti domini comites ex una parte et dictus Bilioctus syndicus nomine dicti comunis ex altera solempni et legitima stipulatione promiserunt et convenerunt inter se ad invicem attendere et observare facere et complere et contra non venire aliquo iure vel causa, ad penam M marcharum boni argenti, quam inter eos se ad invicem promiserunt si contrafactum esset vel appareret solvenda a parte non observante predicta parti observanti et ea soluta vel non predicta sponderunt firmam tenere sub obligatione bonorum ipsorum dominorum comitum et dicti comunis Grosseti; et renumpiando exceptioni adiuncte pactorum et conventionum supradictorum non factorum et non factarum promissionum et obligationum, doli et in factum et rei non sic geste, fori privilegio et omni legum et iuris auxilio. Hec omnia sponte, tactis sacrosanctis evangeliis corporaliter, iuraverunt predicti domini comites et dictus syndicus predicta servare et facere et contra non venire. Quibus omnibus sic peractis predictus Bilioctus syndicus nomine dicti comunis et universitatis dictis comitibus iuramentum prestitit fidelitatem. Actum et cetera. Et ego et cetera.

³ *Segue civitati cassato.*